

**Ad ... Ernestum Godofredum Baldinger ... epistola qua demonstratur, pustulas miliare male a quibusdam medicis, factitias et symptomaticas dici / [Matthäus von Collin].**

### **Contributors**

Collin, Matthäus von, 1739-1817.  
Baldinger, Ernst Gottfried, 1738-1804.

### **Publication/Creation**

Vienna : J.T. Trattner, 1764.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/mvt22fvc>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

23  
MATTHÆI COLLIN

IN INCLYTA AC ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE  
VIENNENSI MEDICINÆ DOCTORIS

AD

PERILLUSTREM  
AC DOCTISSIMUM DOMINUM  
ERNESTUM GODOFREDUM  
BALDINGER

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ  
DOCTOREM

POTENTISSIMO  
PRUSSORUM REGI

AB EXERCITIBUS MEDICUM ORDINARIUM

SOCIETATIS TEUTONICÆ IENENSIS LITE-  
RARUM ELEGANTIORUM SODALEM ETC.

EPISTOLA

QUA

DEMONSTRATUR, PUSTULAS MILIARES MALE A QUI-  
BUSDAM MEDICIS, FACTITIAS ET SYMPTOMATICAS,  
DICI.

---

VINDOBONÆ,

TYPIS, JOANNIS THOMÆ TRATTNER. CÆS. REG.  
MAJEST. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOLÆ.

---

MDCCLXIV.

MAJESTY'S COMMISSION

IN RESPECT OF THE PATENT RIGHTS OF THE  
SAYED PATENT

AND

THE PATENT RIGHTS OF THE

SAYED PATENT

BY VERTUE OF THE PATENT ACT

1833

THE PATENT RIGHTS OF THE

SAYED PATENT

AND

THE PATENT RIGHTS OF THE

SAYED PATENT

IN RESPECT OF THE PATENT RIGHTS OF THE

SAYED PATENT

1833

THE PATENT RIGHTS OF THE

SAYED PATENT

AND

THE


1833

THE PATENT RIGHTS OF THE

SAYED PATENT

1833



 **TIBI VIR DOCTISSIME** minus persuasum fuisset, miliarium perinde ac variolarum & morbillorum eruptionem esse crisin metastaticam summe salutarem, id indubitatum **TIBI** reddidisset insigne levamen istud, quod ab harum pustularum eruptione in **Tuo** gravissimo morbo percepisti: terribilium enim symptomatum multitudo, maxime vero convulsiones, quibus toto corpore agitabaris, delirium, catarrhus suffocativus ex difficillima, stertorosa, anhelosa respiratione, intestinorum acerbis dolor, pulsus intermittens cum integra virium

prostratione , efficiebant , ut TUAM omnes desperarent salutem , usque ad decimum quartum morbi diem , quo pustulæ miliares magnæ , & copiosæ prorumpentes , subito sedabant convulsiones , alia symptomata multum levabant , ut exinde morbus in dies verteretur in melius.

Levamen istud , quod ab hac eruptione TE percepisse , in litteris TUIS , mihi retuleras , quodque alii , quibus ex hoc morbo evadere datur , sentiunt ægri , & mala , quæ ab eadem retrocedente oriri noris , vel ideo notatu dignissima sunt , quod etiam nunc , paucissimi quidem , sed magnæ famæ medici existant , qui hancce depositionem non modo *plerumque* , in Germania , calido regimine & medicamentis cardiacis , arte gigni , sed etiam *semper* symptomaticam esse , ac proinde futuras mox pustulas præcavendas , præ-

fen-

fentes arte tollendas, vel saltem, tanquam nulla adesset eruptio, morbum curandum esse, *unguibus rostrisque* defendunt.

Quam magnam TU VIR CLARISSIME habes lætandi causam! quod ii Medici, qui Tui curam habuere, non crediderint miliarium eruptionem debere impediri aut retropelli: id enim unum adhuc deerat, ut animam efflares; quamquam & solius morbi malignitate id ipsum accidere potuisset, si modo miliaria fortuito casu retrocessissent. Hujus generis exempla plurima habent practici; & ego ipse elapsa hyeme vidi, in Nosocomio Fratris mei, puellam 24 annorum, febre continua cum tertiana laborantem, quæ etsi magnum tum universi corporis, tum præcipue pectoris levamen, a miliarium eruptione perceperit, tamen, dum sub paroxysmo febris tertianæ exanthe-

mata retrocederent, licet viribus valens, ingenti anxietate & delirio correpta, post aliquot dies mortua est. Gratulor proinde **TIBI VIR CELEBERRIME**, quem & melior naturæ conditio, & medentium certior peritia, tanto eripuerunt discrimini.

Quod autem attinet ad eos, qui, licet plurimis Auctorum fide dignissimorum observatis, licet propriis etiam infortuniis, toties jam & de naturali miliarium genesi, & de critica eorundem indole, & de summo retrocedentium periculo convicti, non modo errorem in re gravissima fateri nolunt, sed eum etiam latius in dies propagare conantur, illi certe meditationum suarum fructum perdunt, propriaque monita negligunt; eos ipsos enim persuasissimos esse video, *nihil utique profuturum medico, opinionem gloriæ inanis cupiditate, non minus inepte quam pertinaciter, tutum esse.*

*esse, quando ante supremum tribunal comparebit, severam rationem daturus, non qua suam sententiam maxime strenue propugnaverit, sed qua concreditam sibi proximi salutem maxime promoverit.*

At ista vere philosophica cogitandi ratio impedire tamen non potest, quo minus & hodiedum erroneæ suæ opinioni pertinaciter inhæreant; modo enim queruntur, modo irascuntur, & quod sufficienter ad argumenta, quæ pro naturali miliarium origine, eorumque salutari effectu adferuntur, responderint, & quod fat superque probaverint, hanc eruptionem *semper* symptomaticam, eamque in Germania, *plerumque*, factitiam esse, ut olim, ita & nunc adhuc voce, calamoque defendunt, aliterque de hoc morbo sentientes appellant TYRONES. Recte quidem me vocant Tyronem, & sum; sed multis aliis

Medicis, qui hoc eodem appellati nomine subintelliguntur, & in quos telum ex industria jactum esse videtur, atrocissimam faciunt injuriam. Debuissent saltem cæteris aliis, qui, licet scripserint miliaria esse critica, tamen Tyrones non sunt, his inquam omnibus, & iis maxime, quos olim tanquam viros artis peritos laudabant, commendabantque, parcere debuissent. Plures eorum utique, qui nunc vituperantur, laudatos, summoque studio commendatos fuisse, palam est; sed ex iis unicum tantum, Fratrem meum nempe, nominabo, quem, si defendere voluisset miliaria symptomatica, factitiaque esse, perpetuis forte laudibus extulissent. Cum vero non perinde atque illi de miliaribus sentiat, eum pie fama spoliant, eumque medici titulo indignum esse existimant. Itaque nunc & ille Tyro est: & omnes, qui credent

dent miliarium pustularum eruptionem posse critice morbum judicare, ejusdem classis erunt, immo & homines irrationabiles; hoc enim sensu textum illum accipio, quo Medicum rationabilem non posse miliaria vocare critica asserunt. RAT. MED. TOM. VIII.

An illi medici rationabiles, qui alios tam indecore, tamque injuste laceffunt, sua usi sint ratione, TIBI VIR DOCTISSIME, dijudicandum relinquo. Ego vero, quomodo & quousque probent, miliaria semper symptomatica, & pleraque factitia esse, examinabo, & patefaciam. Quod primo dicunt, exacte se respondisse ad argumenta nostra, id magnificentius ab iis dictum esse, facile, ut opinor, mecum convenies. Etenim indolem illius materiæ, quæ miliaria facit,

non explicuerunt : quod tamen summe  
necessarium erat, ut demonstrarent, mi-  
liaria non ex alia causa, quam ab humo-  
rum degeneratione nasci; & tunc non si-  
bi fortasse tot in locis contradixissent.  
Nam si miliaria, ut illi ipsi concedunt,  
quod etiam accidit, in morbis occurrant,  
in quibus præter pulsum parum febrilem,  
cum quadam lassitudine, nihil præterna-  
turale apparet : tum omnino sequitur,  
quod ad generationem harum pustularum  
talis degeneratio non requiratur, qualis  
esset illa, quam a lecti calore, & ab in-  
tempestivo cardiacorum usu repetunt. Et  
cum in morbis, qui fere nihil molestiæ  
faceffant ægris, erumpere miliaria norint,  
quid est igitur, quod hæc in Germania  
pleraque factitia dicant? putantne forte se  
bene honori suo consulere, deprimendo  
alienum? utique non præterit illos, quam  
sæ-

sæpissime morbos dari, in quibus, sine ulla Medici, aut ægri, aut adstantium culpa, febris tanta est, ut, dum sanguis furibundo quasi impetu per vasa fertur, summa humorum degeneratio nascatur: in his saltem morbis, miliaria, si ea ex degenerantibus humoribus oriantur, malæ medendi methodo tribui non possunt.

2<sup>do</sup>. Non dixerunt: quare hic morbus per plures annos Lipsiæ grassatus sit, antequam ad alia loca se se extenderit, dum tamen eadem medendi methodus in tota Germania adhibebatur?

3<sup>tio</sup>. Quare in omnibus locis, ubi cardiaca stimulantia excitantia, & regimen calidum in usu sunt, aut fuerunt, non apparuerit? & cur maxime non in Hollandia, ubi hæ causæ toties, ut ajunt, aphthas generarunt?

4<sup>to</sup>. Qua-

4<sup>to</sup>. Quare non in tota Europa, dum morbi, in quibus hunc generari dicunt, ubique occurrentes, non raro tam graves sunt, ut arte superata, summaque humorum nata corruptione, mortem inferant.

5<sup>to</sup>. Quare miliaria non æque naturalia dicerentur ac variolæ & morbilli.

Quas autem Frater meus proposuit quæstiones alius sunt generis: ille enim, licet in curandis morbis eadem prorsus methodo utatur, quam orbi literato jam diu notam fecit MAGNIFICUS D. STÖRCK, morbos tamen nonnullos exanthematicos, quos tum in civitate, tum in suburbiis, anno elapso curandos habuerat, & medicamenta, quæ in iisdem exhibuerat, retulit, atque his omnibus, ut nullum superesset dubium, diætam & regimen, quæ in suo Nosocomio observantur, adjungebat, rogando singulatim.

1<sup>mo</sup>. Num medicamenta, quæ in morbis, quorum retulit historias, exhibuit, sint cardiaca excitantia?

2<sup>do</sup>. Num ea, quæ in suo Nosocomio in usu sunt, tenuia juscula, legumina, Panatellæ, ex Rad. Acetos. Bardan. & Hordeo factæ, etiam ad calefacientium classem referri debeant?

3<sup>tio</sup>. Num ad calidum Regimen quoque referenda sit simplex Iodix?

4<sup>to</sup>. Num conclavia, temperato in iis & ad Thermometrum moderato calore, & renovato continuo aëre, mereantur dici calida?

5<sup>to</sup>. Quare sæpe observatum fit, quod ægri omnium proximi ad fornaces, remotissimi a januis, non habuerint exanthemata: dum proximi ad januas, omnium remotissimi a fornacibus, his scatebant?

& quare demum 25. ægri in eodem cu-

biculo jacentes, ab exanthematibus fuerint immunes : dum in alio ejusdem ac prius magnitudinis, in quo 10. 12. tantum ægri decumbebant, grassabantur ?

6<sup>to</sup>. Rogabat, ut illos binos medicos nominarent, quos dicebant, in ultimo bello, non vidisse exanthemata, inter milites suæ curæ demandatos; atque sciscitabatur, & Nosocomia, quibus illi Medici præfuerunt, & medicamenta & regimen, quæ adhibuerunt, & numerum mortuorum suorum, five exanthematicorum, five non exanthematicorum: idque tanto potiori jure rogabat, quod alii ejusdem Exercitus Medici plane contrarium testentur; maxime vero quod Doctissimus Graffenhuber Protomedicus, eorum nomina & Nosocomia, in quibus operam navarunt, ut & eorum miracula, ignoret. Hæc itaque percontatio justa  
æque

æque ac necessaria erat: siquidem non modo anonymorum invisibiliumque testimonium nulla est auctoritas, sed & falsitatis suspicio major exoritur, dum in lucem prodire citati recusant.

Has autem præcedentes quæstiones proposuerat Frater meus, ut illi, qui medicamenta excitantia & regimen calidum incusant, judicarent, utrum causæ illæ, vel in methodo, quam adhibet ipse, vel in Nosocomio, cui præest, reperiantur, suamque de hac re promerent opinionem. Verum ne verbum quidem, neque ad illas, quas ex epistola Fratris mei, neque ad eas, quas ex dissertatione mea retuli, respondere. Nec tamen ideo sibi temperavere, quin palam exclamarent: has objectiones, si non ex animo malevolo, saltem defectu attentionis natas: quasi vero omnis jam sublata sit contro-

versia, damnatis quæstionibus, quas resolvere non poterant.

Tu vero CLARISSIME VIR, facile vel ex ipso singulari hocce disputandi modo, perspicias, quod omnibus suis injuriis ea, quæ ad paginam 190. se dilucidasse jactant, nonnisi admodum leviter perstrinxerint, & quod, si pagina 109. *Proposuerint, statuminaverint, unguibus rostrisque defenderint* hypothefin, qua credere jubent, miliaria pleraque in Germania esse factitia, id sine ulla veri specie fecerint.

At eludere saltem conati sunt a me propofita argumenta. Videamus, quam feliciter, quamque e votis hoc cesserit.

I<sup>mo</sup>. Dixeram in mea dissertatione, esse Aphthas inter & miliaria, ratione symptomatum, affinitatem tantam, ut instituta inter utrumque morbum comparatione,

re-

responderi debeat affirmative ad problema hoc ab Illustrissimo L. B. VAN-SWIENTEN propositum: nempe, *an non aphthæ Batavis miliarium vicariæ sint?* neque isti Medici negant, talem, quam dixi, symptomatum affinitatem inter utrumque morbum obtinere, sed rem alio modo urgent: ne enim ob symptomata in utroque hoc morbo similia cogantur propria damnare verba, aphthas etiam in Hollandia esse factitias nunc perhibent, ideo quod in principio morbi, ajunt, dato purgante, illæ præcaveri possint

Verum quidem est, quod, quamvis aphthæ in Hollandia essent factitiæ, non sequeretur miliaria in Germania esse factitia; videntur tamen æque male de aphthis ac de miliaribus judicasse. An ex fordibus aliquando in primis viis hærentibus putant nasci materiam aphtharum,

ibique ita hospitari, ut humores circulant-  
tes sensim non ingrediatur, vel hanc ex  
tota humorum massa posse purgantibus  
educi? neutrum, credo, dici potest: etsi  
enim facile intelligatur, fordes in primis viis  
hærentes nocere posse, non aliter tamen no-  
cebunt in Hollandia, quam in aliis locis plu-  
rimis, in quibus nec aphthæ, nec miliaria  
apparent. In illis igitur Regionibus, u-  
bi aphthæ familiares sunt, necesse est,  
ut talis materia existat, quæ non ex ma-  
lo regimine, aut neglectu, aut alio Me-  
dici errore, sed propria sua indole illas  
producat.

Si autem ita est, ut in quadam Regio-  
ne hæc existat materia, quæ sensim cor-  
pus ingrediatur, quæque humores infici-  
at, ut revera inficit, tum, accensa febre,  
nemo poterit illam purgantibus educere,  
quin ægrum pessundet: imo si quis eum

hoc modo penitus exhauriret, nondum fortasse, omnem illam materiam eliminaret.

Præterea dum regimine calido & medicamentis cardiacis excitantibus aphthas & miliaria generari dicunt, rationem non reddunt, quare aphthæ in Germania, alioquin calido regimine & medicamentis cardiacis, ut ipsi volunt, abutente, non æque frequentes sint ac in Hollandia; & quare miliaria non infestarint Hollandiam, dum toties aphthas ibidem Sylviana methodo genitas esse dicunt.

Non dubito, quin illis explicatio hæcce visa sit impossibilis: erat tamen per-necessaria, ut suæ hypothefi quamdam affingerent veri speciem. Quis enim credat, regimine & medicamentis calidis, aut si mavis, Sylviana methodo, tam frequenter aphthas in Hollandia gigni, dum alibi rarissime apparent, licet eædem causæ in

aliis Regionibus plurimis, imo ubique reperiantur: morbi enim acuti, qui nulli parcunt Nationi, sua indole aliquando maligni, aliquando etiam benigni quidem, sed hominum incuria, vel contraria ab illis adhibita medela, non raro lethales redditi, idem plane ac fylviana methodus præstare possunt.

Dein qui longa annorum serie, hunc morbum diligentissime observavit, qui de illo tam diserte, tamque exacte scripsit, Illustrissimus VAN-SWIETEN, ne minimam quidem facit mentionem, se unquam aphthas tali modo genitas vidisse. An illi Medici, qui factitias eas adeo audacter vocant, experti loquuntur? an eas ubique generare possent?

Dicam hic, ne id obliviscar, esse ad paginam 112. Tom. VIII. aliquid, quod unicuique legenti valde suspectum vide-

ri debet, ubi sic perorant „ Belga natus  
„ & spatio 19. annorum luculenta ibidem  
„ praxi exercitatus, certi quidquam &  
„ novi de aphthis proferre potui, ut-  
„ pote qui pluribus annis posterior Ma-  
„ gni Boerhaavii in coll. Praët. auditor fue-  
„ rim, quam Ill. Præses. & *pagina* 114.  
„ Verum triennio ante sua fata, vidi,  
„ audivique venerabilem senem (Boerh.)  
„ gloriantem & exultantem, quod *in dies*  
„ *aphtharum crebritas minueretur*, spem-  
„ que sui interitus daret.

Notum est, ILLUSTRISSIMUM L. B.  
VAN-SWIETEN esse quoque Belgam na-  
tum, viginti fere annorum spatio BOER-  
HAAVII auditorem fuisse, & quod notatu  
dignius est, convenisse BOERHAAVIUM ad  
extremum usque diem ejus. De hac re  
enim nullus dubitare potest, cum in sua  
Præfatione dicat „ dum acerbum Magni

„ BOERHAAVII funus, Academia, Civi-  
 „ tas, Respublica, imo per orbem ter-  
 „ rarum lugerent omnes boni, videbar  
 „ & mihi non minimam justī mœroris  
 „ causam habere, cum *irreparabile da-*  
 „ *mnū fecissem, & perdidissem oracu-*  
 „ *lum, quod in rebus dubiis semper con-*  
 „ *sulere licuit.*

Merito igitur dubitare quisque potest,  
 num BOERHAAVIUS triennio ante sua fata  
 gloriatus sit, quod aphtharum crebritas  
 imminueretur? id enim ILLUSTRISSIMUS  
 L. B. VAN-SWIETEN certissime & audi-  
 visset, & in sua praxi observasset; at-  
 que cum de aphthis ex professo egit,  
 rem tanti momenti nequiquam omisisset

Sed quid opus est multis verbis pro-  
 bare aphthas tum temporis in Hollandia  
 non fuisse rariores, cum id ipsum IL-  
 LUSTRISSIMUS L. B. VAN-SWIETEN

pau-

paucis extra omne dubium ponat : & mirandum est omnino, quod illi medici, qui tamen maximi hujus Viri opera diligenter volverunt, qui ex iisdem tam pulchras de morborum crisibus observationes collegerunt, & quasi suas fecerunt, mirandum est, inquam, quod in capite de aphthis non invenerint illum locum, ubi dicit, quod, *cum olim in patria praxim faceret, nihil frequentius occurreret, quam aphthas videre in morbis acutis.* His visis cuique concludere datur, aphthas eo, de quo loquuntur tempore, rariores quam antea, non fuisse.

Quod vero postea scribunt, se ultimis Batavæ suæ praxeos annis, vix bis vel ter in anno vidisse aphthas in morbis acutis, id forte majoris esset momenti, si, ab edito de divisione febrium tractatu, in hunc usque diem, non pariter dixissent,

exanthemata Viennæ apud Fratres Misericordiæ rarissime occurrere, cum tamen certissimum sit, & toti civitati notum, hos Fratres æque frequenter nunc ac antea videre exanthemata tum miliaria, tum petechialia.

Huc accedit, quod prius quam lucem viderit Sylvius, aphthæ Batavis fuerint familiares, quin etiam eas HIPPOCRATI notas fuisse demonstravit ILLUSTRISSIMUS L. B. VAN-SWIETEN. An etiam, quem toties testem volunt, quoque criminis in-  
simulabunt HIPPOCRATEM?

Nec hoc totum est, sed aphthas non posse *honestâ appellatione* dici criticas asserunt, quod manifeste contrarium est illis, quæ in Commentariis ILLUSTRISSIMI L. B. VAN-SWIETEN reperiuntur:  
” sed & observatur, ait, intra paucas  
” horas quandoque disparere aphthas, illi-

co recrudescente febre, cum molestæ  
oppressionis sensu circa præcordia, quæ  
non levantur, nisi denuo aphthæ pro-  
dierint. *Et alibi* Criticam autem ef-  
se metastaticam illam depositionem ma-  
teriæ morbosæ ad superficiem oris in-  
terni, & primarum viarum, unde aph-  
thæ oriuntur, plurima docent observa-  
ta: sæpe vidi criticis diebus prodire  
aphthas cum insigni morbi levamine,  
& longe minus tutas inveni, dum alio  
morbi tempore erumperent. - - - -  
cum ergo aphthæ in morbis revera  
CRITICÆ sint, non mirum est pertur-  
bationes criticas præcedere - - - - tunc-  
que videtur materia morbi soluta qui-  
dem & mobilis reddita, adeo tamen  
malignam indolem habere, ut, dum hu-  
mori vitali mista per vasa fluit, omnes  
omnino vires prosterneat, antequam ad

superficiem primarum viarum deponatur; illa autem facta depositione, vires solent resurgere.

Si ergo facta, die critico, aphtharum eruptione, insigne morbi levamen percipitur & vires resurgant: & ea retrocedente febris iterum accendatur, cum molestæ oppressionis sensu circa præcordia, quæ mala tollantur, si denuo aphthæ prodierint: quis illas non vocabit criticas?

Mirum plane ac insolitum objiciunt argumentum: quod nempe *bonesta appellatione* non possint dici criticæ, quia BOERHAAVIUS, inquiunt, illas ad crisin difficilem retulit. Utique & inde luculenter apparet, quod has BOERHAAVIUS salutarerit criticas. Sed an non etiam crisis difficilis, tamen *bonesta appellatione* crisis dicitur? si ob hanc rationem aphthæ non sint criticæ, tunc nec morbilli,  
qui

qui sub eruptione sua febrim & tussim plerumque augent; nec variolæ, quæ facta jam eruptione mortem sæpe inferunt; nec abscessus a materia morbi jam cocta, & in partes quasdam corporis delata facti, morbumque præsentem tollentes, critica vocari merentur: difficiles enim sunt omnes illæ crises. Hinc non immerito concluderet aliquis, illos medicos, nullam, saltem cutaneam, nullam, in qua periculum est, admittere crisin.

Atque ista sufficiunt, ut demonstretur, illos æque male de aphthis ac de miliaribus judicasse. Nunc ad rem redeo.

Miliaria si methodo calidæ suam deberent originem, longe antequam Lipsiæ apparuerint, nota fuissent: Sylvius enim cui præcipue calida methodus tribuitur, jam anno 1637. promotus est, dein duos annos Hannoviæ, duos Lugduni Batavorum

rum habitavit, inde Amstelodamum ivit, ubi spatio 17. annorum praxim exercuit. Miliaria vero, quantum accurate sciri potest, tantum circa annum 1652. observata sunt in his Regionibus: nihil refert ad meam rem, ut ea veteribus nota fuerint; five enim veteres noverint miliaria, ut contendit Cl.FORDICE quondam immortalis BOERHAAVII discipulus, qui, ut TIBI celeberrime VIR notum est, ex omni parte refellit eorum opinionem, qui putant, miliaria esse morbum medicamentorum calidorum abusu, arte productum; five nunquam ea viderint, mihi sufficit, quod tantum circa annum, quem mox dixi, hæc exanthemata, in Germania, apparuerint, ut probetur non, posse dici factitia: maxime cum Batavi, apud quos medicamentorum calefacientium Auctor degebat, ea non priusquam Germa-  
ni

ni viderint. Utique SYLVIVS, si ejus methodo miliaria gigni potuissent, ea certo generasset Amstelodami; & dum Lugduni Batavorum anno 1658. cathedram conscendit, & numerosos suis principiis imbuit discipulos, suaque opera brevi postea edidit, miliaria non modo omnes Germaniæ provincias indiscriminatim invasissent, sed & omnem Hollandiam, pluresque alias Regiones infecissent.

Vide nunc CLARISSIME VIR, num bene ad hanc rationem responderint, opponendo sequens argumentum?

„ Si congressus venereus, *ajunt*, posset luem veneream & gonorrhœam creare, hanc & illam creasset jam ante numerosa sæcula: siquidem obtinuit semper ejusmodi congressus; atque ante finem sæculi 15 nullibi Europæorum locorum morbus hic notus fuit; ergo

„ eun-

” eundem producere congressus vene-  
” reus non potuit.

En argumentum, quod meo opponunt, ingenuitate pene singulari fatendo, se, facti rationem rogatos, nihil respondere posse, nisi quod sub finem 15 sæculi morbus venereus ab impuro congressu contractus, primo in Regno Neapolitano apparuerit, & dein, prout infectorum commercio homines succedente ordine usi sunt, reliquos invaserit Europæos. Sed eo ipso certe satis ad proprium argumentum respondere: etenim luculentissime probant ipsimet, luem veneream, nequaquam utriusque sexus commercio posse creari, sed tantum eo cum infectis habito contrahi. Adeoque cum virus in alterutrius corpore præsens communicari debeat, ut morbus iste contrahatur, bona & vera est eorum conclusio: quod

*quod congressus venereus non creet luen  
veneream.*

Præterea morbus hic in omnibus Regionibus, prout infectorum commercio homines usi sunt, contractus est. Militaria vero per plures annos Lipsiensibus unice infensa fuere, dum in tota Germania tamen eadem medendi methodus adhibebatur; & in illis Regionibus, in quibus hæc eadem methodus summum habuit usum, visa non sunt; necdum in quibusdam aliis, ubi hac ætate, causa illa reperitur, apparent. Nunquid ergo claudicat hæc paritas?

Quomodo lues venerea duxerit originem, adhuc ignoratur: hoc tantum medicorum maxima pars putat, quod ea primo a tempore detectæ Americæ in Europa apparuerit; sed neque istud adeo indubitatum est; sunt enim Auctores  
obvii,

obvii , qui huic opinioni vehementer reclamant : ita D. SANCHEZ Doctissimus Medicus Portugallus olim IMPERATRICES Ruffiarum Annæ Archiater & nunc Parifiis degens , libro ante paucos annos edito , probavit , ante iter Christ. Columbi in Americam , jam in Europa cognitam fuisse luem veneream. Imo & jam olim Augusti CÆSARIS ætate , Campaniæ populis infestam fuisse Cl. PLATNER. & anno 1696. Parifiis degens D. LANFRANSCUS manuscripto , quod hodie in Regis Galliarum Bibliotheca habetur , probat luem veneream semper extitisse. Verum quidem est , quod hic morbus ab obsidione Neapolis magis notus fuerit , fed semper tunc infectorum commercio , ut nunc , contrahebatur : *neque a non infecto , vel non infecta eodem hoc morbo , unquam orta deprehensa est lues venerea.* BOERHAAVIUS

Alia ratio, quam attuleram, & quæ sine controversia probat, miliaria, in Germania reperiunda, non esse arte producta, hæc est, quod in hac ipsa urbe, licet neque regimen calidum, neque intempestivus cardiacorum usus incusari possit, miliaria admodum frequentia sint, tum in privatis ædibus, tum in Nosocomio Fratrum Misericordiæ, Pazmaniano, Hispanico, tum apud illos quidem, qui hunc morbum factitium vocant.

Sed quod, cum meam dissertationem edidi, tacueram, quodque perpetuo tacuissem, ad id evulgandum nunc me cogunt. Ex omnibus supradictis Nosocomiis unum illud, quod scilicet est apud Fratres Misericordiæ, ante quatuor annos elegerunt, ut cætera alia fortius infectarentur. Itaque Nosocomium istud, per plures annos & fere usque ad annum

1758. exanthematum crebritate adeo infame fuisse promulgarunt, ut calculo ægrotantium quotannis rite subducto, semper 30 ægri ex 100 acute decumbentibus exanthemata perpeffi essent; postea vero majori ægrorum cura, & methodo Hippocratica, Sydenhamiana, Boerhaaviana adhibita, sex modo ægri intra duos annos aut petechiis aut miliaribus laborassent: atque, ut dicunt, hujus rei fidem faciunt Fratris Bertrandi Diaria.

Verum Fratris Bertrandi testimonium quam maxime a veritate alienum esse, declararunt in Epistolis suis, CL. Præceptor meus H. J. N. CRANTZ, & Frater meus, dein qui isti Nosocomio præest DOCTISSIMUS QUARIN, qui etiam illud, eo, de quo loquuntur, tempore, continuo frequentabat, eandem nunc, quæ olim fuerat, exanthematum crebritatem in suo Nosocomio.

nosocomio esse, & illos graviter errare, qui perhibent, hæc exanthemata ibidem fuisse adeo frequentia, ut 30 ægri ex 100 acuta laborantibus, iis affecti fuerint, & Fratres Misericordiæ nunquam condidisse Diaria, mihi palam testatur. Atque dum dicunt, quod hæc Diaria in suos usus exaraverit Frater Bertrandus, omnino a veritate aliena referunt; si enim, quo tempore ille in hoc Monasterium intraverit, bene recordentur, si meminerint, quale sit monastici instituti tyrocinium, & quamdiu Fratres in hocce Monasterio esse debeant, priusquam illis inter ægros versari liceat, tum videbunt, Fratrem Bertrandum, spatio tantum unius anni, potuisse ægros & morbos observare, eo tempore, quo dicunt fuisse hoc Nosocomium exanthematibus infame.

Quomodo igitur possibile esset, ut ex hujus Fratris Diariis, ea, quæ in sua divisione febrium scripserunt, deprompserint? Quomodo ille cæteroquin bonus Frater potuit unico anno conficere Diaria, quibus probaret, antea, imo multis annis, antequam hoc vidisset monasterium, semper 30 ægros ex 100, laborasse exanthematibus?

Nec dum tamen sibi satis habent, ante quatuor annos tam falsa scripsisse, & Doctissimum QUARIN pluries nolentem citasse: me nunc ad istud Nosocomium invitant, afferuntque, me ibidem visurum, 140, 150 ægros plerosque acute decumbentes, quorum sæpe unus, duo, tres, sæpe nullus exanthemata habet.

Meminisse oportet, quod in divisione febrium biennii spatio, tantum sex ægros, qui laborarint exanthematibus, numerarint; nunc autem, sæpe unum, duos, tres, exan-

exanthematicos, apud hos Fratres, reperiri significant; adeoque exanthematicorum numerum, contra quam dixerant in divisione febrium, longe majorem esse ipsimet fatentur.

Invitatus tamen illuc ivi, ubi statim de alio, quem in enumerandis ægris commiserunt, errore convictus fui: non enim sicut illi, feci, qui cum sibi nunciatum esset, tres homines miliaribus affectos esse, præ Nosocomii foribus manserunt; sed intravi, & ægros per plures septimanas examinans, exanthemata æque frequentia in hoc ac in aliis Nosocomiis vidi, quin etiam animadverti, esse solummodo 114 lectos, quorum unum quisque homo occupat; ex quo constat non posse 140, 150 ægros ibidem reperiri, nisi iis forte temporibus, quibus morbi epidemice grassantur, quibusque ægri in pavi-

mento decumbunt, donec detur locus vacantibus lectis aut per mortem, aut per sanationem decumbentium.

Sed quod præ cæteris omnibus mirandum, est quod CL. QUARIN citent non secus, ac si ille Fratris Bertrandi testimonium confirmasset, citant, inquam, eum, qui jam jam illos rubore suffundet.

Testor, Fratres Misericordiæ, nunquam condidisse Diaria, ea omnia, quæ Frater Bertrandus de Nosocomio retulit, falsa & iniqua esse, Nosocomium nostrum nunquam, aut perversa medendi methodo, aut exanthematibus mala (ut quidam volunt) arte productis, infame fuisse, neque nunc acute decumbentes ab eruptionibus adeo liberos esse, cum quinque septimanarum spatio, inter quinquaginta

ginta novem, acutis morbis laborantes, novem miliaribus, unus petechiis, correpti fuerint. (\*)

Viennæ 7. Martii anno 1764. (L.S.) Jos. QUARIN S.  
C. R. M. fanit.  
Confil. & Nosocom. F. F. Mif.  
Phyficus.

Perpende quæſo, Doctiffime VIR, hocce testimonium; vide quo fundamento, qua veri ſpecie toties dicere potuerint, Fratrum Miſericordiæ Noſocomium multis ab annis fuiſſe exanthematibus infame,

C 4

poſt-

---

(\*) Hocce testimonium ut afferrem, vel ideo neceſſarium putavi, quod meum, in diſſertatione inaugurali olim a me promulgatum, ceu candidati medicinæ, & ad teſtem hac in re agendum inepti, deſpotice pro more ſuo, rejecerint, quamquam illi ipſi, cum ita forte res poſtularet, non veriti ſint, & olim adverſus Illuſtr. HALLERUM, inauguralem extollere Radniczkii pariter candidati Diſſertationem, & nunc contra incomparabilem TRALLESIIUM, citare efficacem, ſi Superis placet, Kratochwill medicinæ ſtudioſi auctoritatem.

postea vero sex modo ægros biennii spatio his laborasse.

Itaque nunc evictum est, quod ea, quæ de horum Fratrum Nosocomio scripserunt, minime sibi consent. Nec tamen palinodiam canendo, miliaria quæ in illo reperiuntur, ab intempestivo cardiacorum usu repetere poterunt: propterea quod Methodum, quæ ibidem adhihetur, ut Hippocraticam, Sydenhamianam, Boerhaavianam ipsimet & in divisione febrium, & in Rationibus Medendi laudent. Sed hæc eadem methodus Viennæ generaliter usu recepta est; & dum pagina 120 Tomi octavi dicunt, Medicos in Nosocomiis & in urbe, suburbiisque reperiri plurimos, qui calidis Alexipharmacis, copioso præprimis croco, ipso acutorum principio, perque universum eorundem decursum utantur, id certo,

to, pari ratione dicunt, qua toties afferuerunt, apud Fratres Misericordiæ non nisi rarissime occurrere exanthemata.

Fere ex hisce inducerer, ut credam, eo fine hæc ab ipsis dogmata fuisse propugnata, ne, quæ in proprio Nosocomio ipsi habuerunt miliaria, arte producta existimentur. Gloriantur enim primo vehementer, quod pauca habeant exanthemata: quod spatium decem fere annorum exanthematicos homines tantum 24 in suo Nosocomio viderint; tum vero addunt, quod ex his 24 ægris quatuordecim jam antea fuerint exanthematibus affecti. Verum hoc ultimum citra injuriam, ut arbitror, asserere non possunt: siquidem, quod hic omnibus notum est, suos ægros feligunt; multo potiori jure præterea dicere possent alii Medici, suos ægros jam antea fuisse exanthematibus af-

fectos, cum in Nosocomiis, quibus præfunt, non nisi pauperes decumbant, qui, licet eos maxima premat miseria, ita horrent aliquando Nosocomia quæque, ut se deferri non finant, priusquam in extremo jaceant.

De aliis decem vero sic ratiocinantur:

” Ex cunctorum recensione, decem ho-  
” mines spatio decem fere annorum nu-  
” meramus, qui alterutrum exanthema,  
” aut utrumque in nostro Nosocomio ac-  
” quisiverunt. Horum decem, tres in  
” Nosocomiis exanthemate infectis, ali-  
” quantisper decubuerant; unus negli-  
” gentia petechias sibi comparavit.  
” Quinta, ad peripneumoniam neglectam  
” extra ædes nostras habuit scarlatinam  
” ac miliaria, in Nosocomio vero va-  
” riolas & petechias a degeneratione  
” humorum subtilissimorum summa. Sex-

ta ex morbo maxime maligno cum  
mictu cruento fere desperato, pete-  
chias contraxit. In reliquis morbus  
acutus, per 4. 6. 8. 10. dies, negle-  
ctus, jam motu, calore, labore, super  
in multos loci versus errores, maligni-  
tatem jam contraxerat.

Quid Tu, VIR Clarissime, de hac re-  
censione putas? nonne latet anguis in her-  
ba? quartus habuit exanthemata propter  
*negligentiam*, quintus propter peripneu-  
moniam *neglectam*, sextus ex morbo  
maxime maligno. In reliquis morbus a-  
cutus, per 4. 6. 8. 10. dies, *neglectus*,  
*jam* motu, calore, sudore, labore, in  
multos loci versus *errores*, malignitatem  
jam contraxerat.

En multas causas! sed si hi septem æ-  
gri, vel brevissimo tantum tempore, in  
aliis Nosocomiis decubuissent: tunc nec

mor-

morbi malignitas, nec negligentia, nec aliud quid, ni fallor, præter illa Nosocomia, incusatum fuisset. Quo enim morbo, quibus Symptomatibus, tres priores affecti fuerint, non dicitur: sufficit quod in aliis Nosocomiis *aliquantisper* decubuerint. Et ex eo verissimum fit illud utique, quod jam antea suspicabar; quod nempe suorum exanthematum causam in alios refundere vellent.

Sed etiam si miliaria ex iis solis, quas enarrant, causis nata esse concessero, quod tamen ob rationes antea adlatas statui non potest, necdum culpa vacarent: quin imo magis culpandi mihi videntur, cum sua miliaria tribuant causis & Symptomatibus, quæ quoque in aliis Nosocomiis reperiuntur, in quibus tamen nihil, nisi malam methodum incusant.

Antequam ulterius progrediar, & notam esse Tibi, VIR doctissime, velim historiam alicujus puellæ, quam pagina 127 ejusdem tomi octavi in hunc modum referunt. „ Anno corrente ad 8. Augusti juvenculam suscepimus, quæ cum „ continua febre, ædibus expulsa, ad „ fœminam pauperrimam, sibi notam, „ se contulerat, ibidemque citra ullum „ auxilium, ad medium tertium diem jacuerat. Inde in quoddam Nosocomium, in quo exanthematicorum legio, „ delata, *sex horis* citra auxilium, tantummodo *plurimum tecta* ac probe fundans, mansit. Inde ad nos, sella portatili bene clausa, conducta est, maculis petechialibus hinc inde jam conspicuis - - - ad meridiem diei quinti, febris admodum magna, valido cum sinistri lateris ventrisque dolore, „ post

” post factam sanguinis missionem ob-  
” dormivit, ac sudore toto pomeridia-  
” no tempore diffluxit, maculis petechia-  
” libus inde non promotis - - - quod au-  
” tem notandum, post venæ sectionem die  
” morbi 5<sup>to</sup> crisis facta videbatur sudori-  
” bus & alvo.

Transmissem ista lubentissime, nisi  
circumstantiæ minime veræ, adjuncta si-  
mul haud exigua honoris alieni detractio-  
ne, essent relatæ. Etenim ægros in illo  
Nosocomio, ad quod primo delata est  
hæc puella, lodice simplicissima tegi, in-  
numeri medici testabuntur, eamque puel-  
lam per duas duntaxat horas ibidem de-  
cubuisse, omnes istius Nosocomii Mini-  
stri quibufvis verbo scriptoque legali-  
ter affirmarunt. Hujus fabulæ causa, ne  
quid amplius dicam, est, quod stragu-  
lorum pondere sudorem, in isto Nosoco-  
mio,

mio, fuisse prolicitum, indeque natas petechias, persuadere cupiant: non aliter, ac si homines, in aliis Nosocomiis acuta febre laborantes, nunquam possent, nisi stragulis obruti, sudare; isque sudor, quem, in proprio tantum Nosocomio, naturalem & petechiis adversum esse significant, sub aliorum Medicorum cura obori- & ens, peculiari malignitate infamis, & semper petechiis producendis aptus esset.

Nihil amplius de hac puella; etsi multa adhuc ad incudem revocari possent: miliaria, quæ petechiis supervenere, quæ antequam exficarentur, febrem sustulere; quæque secundo ab eruptione die vidi, & de quibus (licet omni mane de morbo hujusce puellæ sermo haberetur) tertio die tantum studiosis mentio facta est: hæc, inquam, omnia si pertractare vellem, novum & amplissimum suppeditarent

tarent argumentum; præprimis, cum illi (ut sunt in scribendis morborum suorum historiis non minus fideles quam exacti) miliarium eruptionem, pluribus diebus post curatum ex *integro* morbum, factam esse dicant pagina 129, ubi & simul providentissime monent, hanc eandem eruptionem non fuisse Criticam: num qua crisis expectanda sit, postquam morbus ex *integro* curatus est, non examinabo. Adeoque redeo, unde digressus sum.

Gloriantur rursus pag. 133. se, licet *liberalem quorundam juniorum medicorum in enumerando modum de industria imitati sint, quem tamen non approbant*, paucissima exanthemata videre. Pulchrum ratiocinium! ægros 24, qui exanthematibus laborarunt, antea numeravere, horumque exanthematum causas, summo cum

cum labore, summaque cum sollicitudine, singulatim attulere: an ipsimet forte persuadere volunt, se falsa retulisse? id certe non fatis intelligo. Sed hos ægros exanthematicos, quod noti erant, saltem nulla industria unquam reticere potuissent.

Dum vero raritatem exanthematum, in suo Nosocomio obvenientium, prædicant, ad paucitatem morborum acutorum, quos in eo per annum curandos habent, non attendunt. Examinent igitur quot apud se, & quot in aliis Nosocomiis acuta febre laborantes decumbant; tum videbunt, æque frequenter in suo, ac in alio quovis Nosocomio, occurrere miliaria exanthemata & petechialia.

Mirantur illi medici, me vocasse miliaria critica, quod hæc regulariter procedentia, certam efflorescentiæ, exsiccationis, & desquamationis periodum fer-

D

vent,

vent, ut variolæ & morbilli: sed astute omiserunt cætera omnia signa, quibus horum exanthematum eruptionem criticam esse evincitur: nempe, quod miliaria, die critico, prorumpant, & ante horum eruptionem, vel sub eruptione, manifestæ plerumque præcedant perturbationes; quod facta eruptione plenaria non modo symptomata omnia periculosa cessent, sed etiam ipsa febris ut in variolis plerumque tollatur; quod denique tales evacuationes quibus crisin tribuunt, sæpe sine morbi levamine contingant, donec tandem prorumpentia miliaria levent symptomata aut penitus tollant.

Hinc ex omnibus criseos signis, id solum, quod levissimum est, arripiunt, & tum mirabundi clamant: HIPPOCRATES tale quid non vocasset criticum! concedo quidem, quod HIPPOCRATES non vocasset

miliaria critica, ob id solum, quia certam efflorescentiæ exsiccationis & desquam-  
mationis periodum servant; neque sane a  
me ob unicam eam rationem critica ap-  
pellantur; sed si levamen, quod ab hac  
eruptione bene procedente percipitur, &  
mala, quæ ab eadem retrocedente exur-  
gunt, observasset HIPPOCRATES, ille cer-  
to, ut veri amantissimus, miliaria & criti-  
ca & summe salutaria esse dixisset. Ne-  
que quo falsam hypothesein defenderet,  
quo aliis male faceret, sequens ab eorum  
eruptione levamen, aliis evacuationibus,  
quæ sæpe non adfunt, tribuendum voluif-  
set: quod tamen faciunt illi Medici, qui,  
cum erroneæ opinionis suæ tenacissimi  
sint, dum alia non inveniunt diverticula,  
pustulas eas, quæ in morbis cum bonis  
ægri rebus prorumpunt, vocant *sudami-*

*na*, qualia in æstivis fudoribus, etiam sano homini obveniant.

„ Eruptionem exanthematum, ajunt,  
 „ moderantur, totamque auferunt: ve-  
 „ næ sectione, enematibus, cortice Pe-  
 „ ruviano, & ægrorum e lecto exem-  
 „ tione. „

Utique quando magna febris adest, cum pulsu duro, pleno, venæ sectionem omnes comprobant Medici & instituunt: utpote quæ motum humorum liberiores & æqualiores reddit, pessimaque symptomata prævertit. Sed tunc venæ sectio non modo non impedit exanthematum eruptionem, sed etiam eam quam maxime faciliat: idque nuperrime adhuc MAGNIFICO ARCHIATRO STÖRCK confirmatum est, qui in Nosocomio militari petechias, prout e vena  
 ho-

hominis ibidem decumbentis fluebat sanguis, sensim erumpentes vidit.

Enemata, si alvus diutius adstricta est, si dolores abdominis ægrum torquentes, magnus calor, adsunt, aut revulsio a superioribus partibus requiritur, proficua sunt & omnibus medicis familiaria. Cortex Peruvianus, quando vi, & diuturnitate morbi debilitatæ sunt fibræ musculares, humorum dissolutio, eorum putredo metuitur, maxime indicatur: sed exanthematum eruptionem non aufert, quin potius eam apprime sustinet. Vid. Rat. Med. Tom. III. Cap. I.

Dum autem in hoc morbo, nec durus nec plenus est pulsus, venæ sectionem instituere non possunt, sine maximo ægrotantium periculo. Hanc enim veritatem ex multis Auctoribus jam pridem intellexi; & recentissimum adhuc exemplum,

animum vehementer commovens habere mihi videor, ex historia, quam pag. 93. ejusdem tomi octavi referunt ipsi, de fœmina 27. annorum, quæ, cum post primam venæ sectionem petechiæ disparuissent, illo eodem die, ingenti cephalalgia & respiratione fere suffocante correpta est. Secunda venæ sectio instituta fuit: nec hæc impedivit, quominus sequenti die suffocatio mortem minitaretur: iterum mittebatur sanguis, & licet istertia illa venæ sectione, ut dicunt, vix fluxerit, tamen ita imminebat *animi deliquium*, ut ægra tum sub stragulis reponi, & aceto recreari debuerit. Atque cum se parum collegisset, affirmabat, se sub sterno corpus veluti durum ac dolens, quod respirare prohiberet, percipere. Et hoc plerumque signum est exanthematum vel futurorum, vel retrogressorum:

ita

ita enim sæpe homines anxietatem, & pectoris oppressionem exprimunt; hæcque anxietas, hæc oppressio, nisi pulsus nimis plenus aut durus sit, quo plus sanguinis detrahitur, eo magis increfcunt: etenim enervatæ tunc vires, materiæ morbosæ movendæ & foras pellendæ non amplius fufficiunt. Ita huic foeminæ accidisse videtur: illa enim, etfi spiritum C.C. succinatum &c. affumpferit, & vesicantia ei fuerint applicata, tamen fine ullo amplius apparente exanthemate, sub finem diei tertii ab instituta ultima V. S. mortua est.

De ægrorum autem e lecto exemptione res clara est, & fufficienter ex divis. febr. pag. 40. probata, ubi illi ipsi perhibent, ægros admodum debiles esse, & ad minimam auram frigidam perceptam perniciose habere, eorumque plures, dum ad

necessaria erigere corpus gestiunt, animo linqui. Hinc & quoniam metus est, ne æger tam debilis ( quando e lecto eximunt eum ), in animi deliquium cadat, & moriatur, turpem committunt errorem, & maxime quod id faciunt, neglectis propriis monitis, ut frigidam auram captet, qua, in morbis exanthematicis, perniciosius nihil accidere potest.

Demum, quod ratione ortus, progressus, & effectus, miliaria cum variolis & morbillis comparaverim, amare conqueruntur, a meque injuriam sibi factam putant, quod variolas aliquando supervenire miliaribus scripserim. Verum enim vero variolas, licet ex propria illorum confessione & ex aliorum auctorum observationibus, aliquando supervenire miliaribus luculentissime probarim, id tamen non ita retuli, ac si magni  
pon-

ponderis esset: at contra, eadem pagina, has illis non accedere, in illorum gratiam dedi. Quid enim interest, utrum variolæ miliaribus superveniant, nec ne? minime inde sequitur, miliaria esse factitia; quin imo variolæ, dum epidemice grassantur, si miliaribus se se non adjungant, non sine ratione crederetur, miasma miliarium miasmati variolarum resistere: quam tamen sententiam meam non facio.

Comparisonem autem inter hos morbos, ratione ortus, progressus, & effectus, a me factam, etsi eam memorarint, ægreque ferant, non urgent, & prudenter certe prætereunt: nam miliarium eruptionem nequaquam symptomaticam vocare possunt, quin variolas & morbillos eodem nomine saluent. Quod si variolas & morbillos factitia & symptomatica esse statuerint: tum exanthema mi-

liare, & factitium, & symptomaticum vocent, per me licet.

Optimo jure tamen semper illis objicere potero, quod ipsimet morbum miliarem descripserint primarium, adeoque talem, in quo pustulæ miliares naturaliter oriantur. Verum quidem est, quod & ipsum hoc negent, quodque rogent a me „ num lues venerea minus factitia sit, „ quod Auctores Syphilici eam descri- „ bant tanquam morbum gravissimum, „ cujus proprietas sit, ut solida æque „ quam fluida corrumpat.

Postquam propria illorum verba retulero, ut mox referam, nullo modo, VIR DOCTISSIME, dubitare poteris, utrum morbum miliarem descripserint primarium? sed imprimis hic loci, præter imbellem, ne dicam ridiculam, comparationem, quam miliaria inter & morbum ve-

nereum faciunt, animadvertendum est, illos Medicos minime morbum, ut est lues venerea, maxime chronicum, a morbo plerumque valde acuto, distinguere. Virus venereum sensim magis magisque humores, & tandem successu temporis ipsa ossa corrumpit: hæcque corruptio est effectus illius veneni, ad corporis destructionem tendens. Miliaria vero, certo quodam morbi tempore prorumpunt, expediteque mutationem inferunt, & humores a morbosa materia liberant: igitur miliarium eruptio est effectus bonæ naturæ, quo corpus sanitati restituitur. Hinc quid de tali comparatione censendum sit, facile patet.

Vide nunc, an non diserte morbum miliarem descripserint primarium? „ est „ febris continua putrida, cum anxietate „ præcordiorum, lassitudine, debilitate,

tate, non raro cum catarrho quodam  
juncta, cum urina & pulsu sæpe non  
multum a conditione sana abludentibus,  
nonnunquam cum Rheumatico artuum  
dolore, vel & dolore faucium. Cujus  
febris die 4. 7. 9. 11. 14. imo passim  
die quocumque non critico, post per-  
ceptum non raro vappescentis veluti  
aceti foetorem, oriuntur stigmata ru-  
bra, seu maculæ potius, quæ mox in  
perfecta hemisphæria pellucida elevan-  
tur, colore albæ aut rubræ; quarum hæ-  
minus periculosæ illis habentur. Mo-  
le minuuntur ad diem suæ eruptionis,  
4. 5. 6. 7. exsiccantur, & in squam-  
mas ut plurimum fatiscunt. *Debiles ad-  
modum sunt ægri, & ad minimam au-  
ram frigidam perceptam perniciosè ha-  
bent: imo plures, dum ad necessaria eri-  
gere corpus gestiunt, animo relinquuntur.*

Febris miliaris, inquiunt, est febris continua putrida cum anxietate circa præcordia, lassitudine & debilitate tanta, ut, dum ægri corpus tantummodo ad necessaria erigere volunt, plures animo linquantur. Cujus febris die 4. 7. 9. 11. 14. pustulæ miliares prorumpunt. Ergo morbum descripserunt primarium, morbum, qui sua natura pustulas miliares producat, morbum, in quo salva conscientia ægros e lecto eximere non possunt.

Non item verum est, dum dicunt, quasi id ego scripisssem „ me Medicos „ frequentare, quibus quot annis innumeri exanthematici curandi committantur, qui tamen in febre simpliciter miliarum venam non tundant, qui vesicantia, nunquam nisi retrocedente efflorescentia ac debilitato vehementer inde ægro admoveant. Rat. Med. Tom. 8. p. 146.

At-

Atque ut porro clarissime perspicias,  
quid ejusmodi fermocinationibus tribuen-  
dum sit, ad sequentia hæcce, quæ in mea  
dissertatione Cap. V. de miliarium cura-  
tione habentur, nonnihil attendas velim:  
„ itaque aliquando *venæ sectio*, & medi-  
„ camenta antiphlogistica, aliquando,  
„ contrario plane modo, excitantia sti-  
„ mulantia requiruntur. Venæ sectio ta-  
„ men, quod omnibus dictum velim,  
„ nullo alio miliaribus adjuncto morbo  
„ rarissime indicatur, ac magno cum æ-  
„ grotantium periculo, errare illos, qui  
„ ob dolorem capitis, aut anxietates,  
„ nulla habita pulsus ratione, eam insti-  
„ tuunt, certum est. . . . . Nihilomi-  
„ nus si magna febris cum pulsu duro de-  
„ prehenditur, venæ sectio, quæ horren-  
„ da sæpe mala prævertit, ac miliarium

„ eru-

„ eruptionem tunc faciliat, non solum  
„ tuto institui potest, sed & debet. „

Ex his utique evidenter cernis, VIR  
CLARISSIME, quam maligne de me per-  
hibeant, cum præter omnem veri speci-  
em, a me, aliisque Medicis, mihi fami-  
liaribus, venæ sectionem in morbo sim-  
pliciter miliari, improbari narrant. Cla-  
rius enim, quam dixi, venæ sectionis ne-  
cessitatem, etiam in morbo simpliciter milia-  
ri, statuere non potuisssem, hoc solum mo-  
nui, quod, qui, nulla habita pulsus ratio-  
ne, ob dolorem capitis, aut anxietates,  
eam instituunt, ægrotantis vitam (id quod  
plusquam satis verum ab eo tempore  
forfan deprehenderunt) in discrimen fa-  
cile conjicere possint. Sed, inquiunt,  
venæ sectionem in acutorum principio,  
*si nihil vetat*, egregie conducit. Et ego  
respondeo, quod etiam in acutorum princi-  
pio,

pio, venæ sectionem instituere, si *nihil indicat*, omnino sit empirici.

Dein hæc addidi, „quando autem vires  
„ aliquantulum labascere videntur, ex-  
„ citandæ sunt adjuncto leni stimulo &c.  
„ verum non raro accidit, ut pulsus mi-  
„ nimus, & vires penitus prostratæ sint;  
„ atque tunc stimulantia excitantia sum-  
„ me necessaria sunt - - - hoc in casu  
„ vesicantia exoptatum sæpe præstant  
„ effectum:

Unde patet, quod non dixerim expe-  
ctandum esse, dum dispareat efflorescen-  
tia, ut applicentur vesicantia, si vires  
debiliores ea requirunt: cum priusquam  
de exanthemate prostante vel minimum  
fecerim verbum, necessitatem applican-  
di vesicantia memoraverim. Novi enim  
optime, ad excitandas naturæ vires, ad  
materiam morbosam foras provocandam,

in

in tota Medicina nihil efficacius quam vesicantia reperiri, idque in mea dissertatione notavi, contra eos, qui, dum in alios practicos, quasi medicamentis alexipharmacis exanthema miliare generarent, foedis calumniis invehuntur, ne minimam quidem mentionem de vesicantibus fecere.

Tunc, cum meam dissertationem scripsi, illos in eo mecum conventuros arbitrabar, quod vesicantibus imprudenter applicatis, perinde ac ab intempestivo cardiacorum usu, humorum degeneratio nasci possit: dummodo quot vesicantia applicentur, & cardiaca qua dosi in morbis acutis exhiberi soleant, consideretur. At plane fefellerunt opinionem meam: siquidem non solum calorem tantum a vesicantium applicatione, quantum ab assumtis cardiacis, excitari pos-

se negant, sed etiam, quod mireris, vesicantia *potius imminuere, quam augere motum humorum, probare conantur.*

Alia & nova est illa hypothesis: sed eam male etiam defendunt, imo ipsimet destruunt eam; nam dum alibi vesicantia, ubi vis vitæ debilior est, quam ut morbum coquat, extollunt, tum omnino vesicantium virtutem, stimulantem, excitantem, & calefacientem probant.

Vesicantia, in partibus, quibus applicantur, inflammationem excitare, eamque in gangrænam augere posse, certum est, hinc eorum quatuor vel quinque applicata inflammationem in totidem locis excitabunt; sed tunc ex tot inflammationibus, & ex dolore, dum epidermis, acrimonia cantharidum a subiecta cute solvitur, excitato, febris augeatur necesse est. Dum ab applicatis vesicantibus stimolata vasa

in frequentiores contractiones cientur, sanguinem ad partem vellicatam celerius advocant quidem, sed etiam eum celerius versus cor pellunt, quod tunc majori & celeriori humorum affluxu extimulatum, frequentius & fortius sese contrahendo, motum auget per reliqua corporis vasa. Atque hanc rationem esse credo, quare ægris, post magnam cum morbo luctationem in agone fere constitutis, cum pulsu parvo debili & celerrimo sæpe vesicantia profint: in his enim debilitatæ, vi & diuturnitate morbi, fibræ vasorum musculares, vix humores, qui adhuc supersunt, per vasa movent; admotis autem vesicantibus motus & calor augetur primo in locis, quibus hæc eadem vesicantia applicantur, ac post aliquot horas pulsus plenior, fortior apparet in reliquo corpore. Nec improbable videtur, can-

tharidum acrimoniam se in corpus infinuare, cum ab harum applicatione, toties stranguriam natam esse constet.

Igitur, si pulsum, antea ob fibrarum muscularium debilitationem & liquidi nervi defectum, languentem, vesicantia plenior, & fortior reddere potuerint, id in principio, vel & alio morborum acutorum tempore, ubi aut sufficiens, aut nimia humorum copia adest (ut enim illi de intempestivo cardiacorum usu loquuntur, ita etiam ego de intempestiva vesicantium applicatione sermonem facio) tanto magis efficient, quod & vires validiores sint. Hinc illi, qui pustulas miliares in Germania obvenientes a methodo calida repetunt, acrius longe in vesicantia, quam in alexipharmaca invehi debuissent. Etenim nulla veritate unquam dicere possunt, tantam hic a Medicis  
ale-

alexipharmaci dosin exhiberi, quæ talem in corpore calorem excitet, qualis a quatuor vel quinque vesicantium applicatione observatur.

Vesicantia, ait ILLUSTRISSIMUS L. B. van SWIETEN, calorem excitant illo in loco cui applicantur, & dein toti corpori caloris augmentum faciunt. Imprudenter applicata corpori Febrim, fitim, calorem urentem, halitum cadaverosum, molestissimam stranguriam faciunt, imprimis cantharides, quæ ideo a Dioscoride inter venena recensentur. Omnia hæc agunt ratione stimuli quo languentem motum sanguinis excitant, & vi fundente, qua pituitosum iners dividunt & attenuant. Hinc in omnibus morbis languidis & frigidis tanti usus. *Et alibi:* Adeoque videtur concludi posse,

” quod cantharidum ufus minime tutus  
” fit, ubi valida febris, calor magnus,  
” & putredinis metuendæ figna funt.

Equidem venæ fectionibus iteratis, ægrum præparandum eſſe volunt: at utique hoc ipſo, quod iteratis venæ fectionibus ægrum præparare debeant, antequam veficantia tuto applicare poſſint, patet evidentiffime, quod ab applicatis veficantibus augmentum caloris, & humorum rarefactionem metuant.

Poſſem utique, ſi opus foret, ad confirmandam ſententiam meam, innumeros citare Autores: ſed alioquin hac ætate omnes norunt præctici, in multis caſibus, & maxime ubi copia vel peculiari indole materiæ morboſæ, natura oppreſſa nec coctioni nec criſi ſufficit, nihil certius quam veficantia, nihil potentius, ad excitandas vires vitales haberi poſſe. Itaque illi, medicamenta cardiaca, quæ par-

va dosi & bene indicata exhibentur, incusando, super quatuor vel quinque vesicantibus applicatis, altum tenendo silentium, de lana caprina disputant. His igitur missis, rationes nonnullas, quas ad probandum, in aliquibus hujus loci Nosocomiiis, arte generari exanthemata, attulere, **TIBI, VIR DOCTISSIME**, adhuc exponam.

In tractatu de febrium divisione & in Epistola ad **Amicum**, quatuor citarunt Auctores, **HOFFMANNUM** nempe, **FUCHSIUM**, **TRUMPHIUM** & **HASENÖHRL**, quorum quidam inviti & male intellecti citati sunt, alii (nescio vero qua singulari obsequentia) concedunt se pauca exanthemata vidisse, eodem quo scribunt tempore & asserunt, quod sæpe miliaria, toties, multoties exanthemata, tum petechialia, tum miliaria effloruisse viderint.

Quod HOFFMANUS miliaria naturalia descripserit & ea vocaverit critica, omnibus, qui hujus viri opera legerunt, notum est. FUCHSIUM tanquam hominem, in hac re, sibi in integrum contradicentem, omnimodeque hallucinantem refutavi. TRUMPHIUM male citatum fuisse, ad condemnandos eos, qui credunt, miliaria esse naturalia & critica, ex eo probavi, quod is, in harum pustularum eruptione omnem ægrorum salutem posuerit. Et in Tomo octavo rationis medendi, ubi ad omnia argumenta, quæ pro naturali miliarium origine, eorumque salutari effectû adstruuntur, respondere statuerant, ipsi fatentur, rem de tribus hisce Auctoribus, ut dixi, se se habere. Sed non idem faciunt ratione Egregii HASENÖHRL: non in suo Nosocomio, inquiunt, non in sua privata pra-

xi, sed in aliis Nosocomiis, sæpe, toties, multoties, vidit ille Medicus emicuisse exanthemata. Ecce modum quo id monent „ ut paucis multa comprehendam, an me mecum dissentientem, sincerus homo suspicabitur, dum „ in cathedra v.g. dico, pauca miliaria „ mihi in Nosocomio obtingere, & dum „ paulo post auditoribus assero, me in „ Urbe, ac suburbiis, eadem sæpe, multoties, pluries emicantia observare? „ ita nullam in libro egregii HASENÖHRL „ contradictionem infert, quod pauca „ miliaria viderit in suo Nosocomio, quod „ plura viderit alibi, sive in altera sui Nosocomii parte, cui non præerat ipse, „ sive in sua privata praxi.

Perpende, quæso, VIR ÆQUISSIME, an non illi Medici, aperte secum pugnent: perpende, inquam, ex sequen-

tibus, an non de morbis, quos in suo  
Nosocomio curandos habuit, locutus  
sit D. HASENÖHRL?

„ Nosocomium, inquit, in quo pra-  
„ xim facio, numerosos complectitur æ-  
„ gros, quos inter acuti plerique, chro-  
„ nici pauciores, & idcirco amplissimus  
„ panditur observanti campus. Varii  
„ ægrotantium casus in decursu subjiciun-  
„ tur, quos penes lectos sollicite ad-  
„ notaveram, ut confirmarem illa, quæ  
„ hinc inde afferuntur. Epidemiam  
„ hoc anno vidi nullam, exanthemata  
„ pauca sese offerebant, quorum ortum  
„ atque obitum diligenter observavi.  
„ . . . . Sæpe & animadverti, in mor-  
„ bis, quos ex integro dispulit fudor,  
„ effloruisse miliaria. In febribus ca-  
„ tarrhalibus, peripneumoniis, toties  
„ sine dierum lege, aut levamine emer-  
„ serunt exanthemata . . . . . Ver

„ hyeme constantius erat, characterem  
„ tamen febrium inflammatoriarum non  
„ multum immutavit, sed & simul exan-  
„ themata, tum petechialia, tum  
„ miliaria, brumali tempore rarissime vi-  
„ sa, cum febribus catarrhalibus dictis  
„ denuo emerferunt.

Ex his omnibus facile judicabis, me-  
ritoque concludes, D. HASENÖHRL &  
descripsisse sui Nosocomii morbos, &  
exanthemata non pauca in eodem vidisse;  
sed imprimis id tibi, VIR CLARIS-  
SIME, notandum est, quod egregius ille  
Medicus præmonuerit, in suo Nosoco-  
mio pandi amplissimum observanti cam-  
pum; quod penes lectos sollicitè, mor-  
bos, maxime ortum ab itumque pete-  
chiarum & miliarium, quæ cum febribus  
catarrhalibus denuo emicuerunt, obser-  
varit; quod denique pagina 2<sup>da</sup> præfa-  
tionis

tionis suæ, multoties ægros conferto exanthemate scatentes viderit.

Quod autem CL. idem Vir, pergunt, miliaria, una cum aliis bonis evacuationibus erumpentia neget esse critica, nec his, sed aliis evacuationibus criseos concedat prærogativam, id ideo fecit: *quia Medicus rationabilis aliter facere non potest.* Rat. Med. Tom. VIII. pag. 179.

Si quis vero pari ratione illis diceret, sudorem cum aliis evacuationibus contingentem, licet symptomata levet, aut penitus tollat, non posse dici criticum, ideo, quod unus, cujus animum incessit forte litigandi mala cupido contradicat, tum sine dubio responderent, sed modeste primo „ id quod acutis in morbis fit, „ & die critico fit, & cum sanitate sensim redeunte fit, id sane criticum est, „ vel nihil uspiam criticum dici potest; „ sed

sed attenti practici testantur hoc de fudore; ergo vel hic fudor criticus est, vel in tota medicina nihil critici existit. Postea si nec dum optimis suis argumentis tali homini persuadere possent, sudorem, etsi aliæ simul contingant evacuationes, tamen criseos nomen mereri, tunc forsitan, & merito quidem, hunc hominem irrationabilem, & iudicii expertem pronunciarent. Sed vide quid eadem pagina addant, fat superque demonstratum est, miliaria & petechias, nunquam critica, semper vero esse symptomatica: demonstrationes pluries attuli. Quid ergo de iisdem cum aliis bonis evacuationibus conspicuis, cogitandum, nisi quid pravum, quid indomabile, bonitate naturæ simul expelli de corpore, dum cocta expelluntur.

Quis jam terribilem, qui hic subest, errorem non animadvertit? ægrorum antea lecto exemptione, venæ sectione &c. exanthematum eruptionem jam factam auferri, futuram, ubi etiam omnia symptomata latentis exanthematis præfaga aderant, præcaveri volebant: horumque exanthematum retrogressum non esse timendum asseriebant. Nunc vero, denuo conversi, sponte fatentur miliarium & petechiarum materiam esse quid pravum, quid indomabile, quod bonitate naturæ, una cum aliis evacuationibus expellitur de corpore; in summum igitur ægrotantium damnum manifeste laborant, dum materiam adeo pravam in corpore retinent, aut in idem repellunt, qua se benigna natura liberare conatur.

An præterea putant, etiam in benignis morbis, tantam humorum dege-

ne-

nerationem fieri, ut ex ea nascatur tale quid pravum, ac indomabile, quod coëtionem non patiatur? sane hoc ipsi benignitatis vocabulo repugnat. An pariter variolæ debent dici symptomaticæ, quod illarum materia in corpore domari non possit?

Etsi de petechiis hic agere non sit animus, tamen cum de illis & de miliaribus promiscue, quasi unus idemque morbus esset, locuti sint, dixerintque se sat superque demonstrasse, nec petechias, nec miliaria unquam critica esse: & aliquid in contrarium ex Egregio HASENÖHRL afferam, ex quo rursus, CLARIS-  
SIME VIR, intelligere poteris, hunc Medicum vidisse in suo Nosocomio petechias vere criticas. Audiamus eum loquentem „ Ubi morbus regulariter de-  
„ currebat, quarto vel ad summum se-  
„ ptimo die emergebant in superficie  
„ cutis,

” cutis stigmata rubra , læti admodum  
” coloris, cum levamine omnium sym-  
” ptomatum, modo punctula sat par-  
” va æmulantia, modo late magis paten-  
” tia, in collo, pectore, & cordis scro-  
” biculo apprime conspicienda, mox per  
” reliquum corpus diffusa apparebant. ---  
” Oculi antehac tristes jam incipiebant  
” fieri vividiores ; mens constabat ;  
” pulsus, antea debilis, insurgebat ;  
” reliqua symptomata, ut vigiliæ, deliri-  
” um, sitis, aurium tinnitus, vel cessa-  
” bant integre, vel saltem plurimum im-  
” minuebantur ; functionum exercenda-  
” rum major alacritas ; *maculæ petechia-*  
” *les* sensim minus coloratæ fiebant, tan-  
” dem die decimo quarto vel decimo  
” septimo, disparebant, aut cum levi  
” desquamatione epidermidis, secede-  
” bant, appetitus redibat, vires restau-

„ rabantur. *Et postea* - - - „ Alios 4. 5.  
„ & 6<sup>to</sup>. continuo sopore sepultos & ob-  
„ scure delirantes notavi, quibus septi-  
„ mo vel nono die oborto leni sudore  
„ petechiis prodeuntibus melius habere  
„ contigit. *Et alibi.* - - „ Funestum  
„ quoque & exitiale erat ægris, in qui-  
„ bus subito disparebant exanthemata :  
„ perniciofa enim illico exurgebant sym-  
„ ptomata, respiratio fiebat frequens,  
„ anhelosa, inæqualis, pulsus debilis,  
„ celer, intermittens, sudor frigidus in  
„ fronte & jugulo; tandem mors.

Qui statuunt, petechias semper esse  
symptomaticas, qui suam sententiam Au-  
thoritate D. HASENÖHRL firmant, vi-  
deant nunc quod ille Medicus, *rationabi-*  
*lis* tamen, anno 1758. frequenter pete-  
chias observavit criticas, nec adeo illas  
ægrorum e lecto exemptione, aut repeti-

tis venæ sectionibus præcaverit aut retropulerit, ut potius eas optarit, timueritque summopere, ne retrocederent. Hunc quidem morbum, quem petechiæ toties critice judicarunt, fuisse epidemicum respondere possent: sed responsum istud, quo petechias in morbis tantummodo epidemicis criticas observari statuerent, utique nullum est. Ne quid ultra proferant inutile, in mentem sibi serio revocent, se pronunciaſſe, exanthemata, tum miliaria, tum petechialia, ſemper eſſe ſymptomatica, ſemperque, vel ex morbi malignitate, vel erroneo naturæ niſu, vel denique ab humoribus degenerantibus, oriri, cujus rei falſitatem, ut opinor, facile vident, & recte quidem inde, quod Egregio HASENÖHRL petechiæ, quæ morbum epidemicum critice judicabant, frequenter obvenerint:

ergo

ergo petechiæ non sunt semper symptomaticæ. Si in morbo epidemico petechiæ fuerint criticæ: tum salutari naturæ nisu productæ sunt; ergo non semper, quæ in morbis occurrunt petechiæ, a degeneribus humoribus oriuntur. Si in morbis epidemicis sponte & bono cum effectu prorumpant: quidni illæ in morbis sporadicis prorumpentes possent naturales & criticæ esse?

Non modo petechias, in quarum eruptione omnem ægrorum salutem posuit, sed etiam miliaria omnino critica, se vidisse affirmat Egregius HASENÖHRL: ita pagina 14. id ipsum perhibet „ Die „ 17<sup>mo</sup>. confertim prodibant miliaria alba „ cum ingenti symptomatum levamine & pagina 32. de alio ægro agens „ DIARRHOEA autem 6<sup>to</sup>. & „ 7<sup>mo</sup>. die continuavit, viresque ægræ

„ magis dilabi videbantur - - - inde fa-  
 „ ctum est, ut assumptis aliquot dosibus  
 „ DIARRHOEA ex integro reprimeretur,  
 „ peripheria corporis madesceret, pau-  
 „ cæ petechiæ, quibus miliaria numero-  
 „ sissima, tum rubra, tum alba erant  
 „ interspersa, læte efflorescerent, cum  
 „ notabili ægrotæ levamine.

Est igitur luce meridiana clarius, quod  
 D. HASENÖHRL se ipsum refellat in  
 Præfatione libri de Historia trium mor-  
 borum, dicentem, exanthemata copiosa,  
 non perinde, ac alias evacuationes largas,  
 critice judicare morbum, ob hanc uni-  
 cam causam, quod multoties illos, qui  
 conferto exanthemate scatebant, gravius  
 ægrotasse illis, qui paucis macularentur,  
 viderit.

Ad hoc quidem jam responderat Fra-  
 ter meus, dixeratque, quod ægri magis mi-  
 nus-

nusve afficiantur, prout major vel minor est copia materiæ illius, quæ morbum fecit, quodque in morbis pulmonicis quoque & homines, qui copiosa reddebant sputa, & alios, qui in febre ardente copiose sudabant, longe gravius ægrotasse viderit, iis, qui minus exspuebant, qui minus sudabant: quin tamen inde concludi debeat, sputa & sudores, non posse morbum critice judicare; cum, ubi magna illius materiæ copia est, quæ morbum posuit & continuavit, longe majori conamine indigeat natura, ad eam expellendam, quam si parva tantum hujus materiæ copia fuit.

At illi, qui ante quatuor annos scripserunt, qui & hodie dum defendunt, miliaria semper esse symptomatica, suam interponunt auctoritatem, scientiam, experientiam, atque statim rogant, an non

ex tali ratiocinio julte quis concludat, nec sputa, nec sudores, critice judicare morbos? *Evacuatio critica, inquit, magnitudini morbi respondeat oportet*: Uti-que & hoc recte agnovit, monuitque Frater meus. Sed rogo etiam illos Medicos: an, dum morbus gravis est, licet evacuatio critica, magnitudini morbi respondeat, mox ante vel sub evacuatione critica, homo non possit in majori discrimine versari, quam antea: & an non longe majore labore crisin ferat, quam is, qui leviori morbo affectus est; si id ignorent, quod magnum est in medicina, volvant iterum ILLUSTRISSIMI L. B. VAN SWIETEN commentaria: ex his enim intelligent (quod jam in mea dissertatione relatum habetur) dari crises, quæ non modo ægros magis debilitant,

litant, sed quæ illis etiam aliquando mortem inferant.

„ Omnium ergo manifestissimæ crises, inquit, „ quas & maximæ perturbaciones tum comitantur, fiunt illo morbi „ tempore, quando morbus in statu, id „ est, in apice sui incrementi constituitur, & collectis viribus æquo quasi „ Marte dimicat cum illis, quæ in ægro „ de sanitate supersunt, donec victrix „ natura morbum superet, vel victa „ morbo succumbat. Prior bona crisis, „ posterior mala dicitur.

Quid ad hoc respondebunt? dicere saltem non poterunt, exanthemata semper malam esse crisin: cum illi ipsi sæpe observarint, hæc eadem exanthemata fuisse suis ægris salutaria. Spero itaque, fore, ut imposterum neque exanthemata ob dictam causam vocent

fym-

symptomata, neque Egregium HASENÖHRL, minus adhuc Fratres Misericordiae citent, ad confirmandam suam de arte miliaria generandi hypothesin.

Tu vero, CLARISSIME BALDINGER, quem longiori hac Epistola jam nimis diu detinui, & otio, melioribus certe negotiis destinato privavi, hanc mei sermonis longitudinem benignus excusa, serio perpendens, id esse commune Tyronum vitium, ut, cum sint impares magistris ratiocinio, saltem verborum multitudine eos imitari, & quam proxime assequi conentur.

V A L E.

